



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sulpici[i] Severi Presbyteri Opera Omnia

Sulpicius <Severus>

Amstelodami, 1665

Athalia Regina Iudæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11490

versum ¹ *Jehu*, qui ² per Prophetam in regem decem tribuum unctus fuerat, pariter in prælium egressi, ³ eadem pugna interiere. Sed regnum Joram Jehu tenuit, ⁴ posito *Ochozia*, in Judæa rege. Qui uno anno regnavit: mater ejus ⁵ *Gotholia* imperium post occupavit, ⁶ adempto nepoti imperio, etiam tum parvo puero, cui *Joas* nomen fuit.

¹ LXXX. Sed huic ⁷ ab avia præreptum imperium, * post octo

¹ *Jehu*.] Annis viginti octo. *Druf.*

² *Per Prophetam in Regem decem tribuum unctus fuerat.*] Bis videtur unctus fuisse. Semel ab Elia, III Reg. XIX. 15. deinde ab Eliseo. *Cajet. Histor. Schol.*

³ *Eadem pugna interiere.*] IV Reg. IX. Jos. IX. 5. Non eodem loco & tempore. Nam cæso Joram Rege Israël, Ochozias fugit & latuit Samaria. II Paral. XXII. 9. Ibidem postea deprehensus, & ad Jehu in Gaber deductus, accepto vulnere, in Mageddo fugit & obiit. *Lyræ.* Jesabel quoque *υγρομεσσαμνη*, malignum spiritum, de fenestra præcipitata, inter equorum ungulas curruumque rotas, exhalavit, ac rota Achabi domus deleta est. *Joseph. IX. 6.*

⁴ *Posito Ochozia.*] Male hæc librarii interpunxerant. Tu igitur sic distingue: *Sed regnum Joram Jehu tenuit. Posito Ochozia in Judæa Rege, qui uno anno regnavit, mater ejus Gotholia imperium occupavit.* Posito, videtur scriptum, pro deposito, id est, sepulto. *Sigon.* Sepultus autem fuit cum patribus suis in civitate David. Vide IV Reg. cap. IX, vers. 24. Aut *posito*, id est, mortuo, quod in Evangelio, *animam ponere.* *Druf.*

⁵ *Gotholia.*] IV. Reg. XI. Joseph. XI. 7. Athalia pro Gotholia scribitur, sed Gotholia nomen est in Paral. *Sigon.* Nam γ interdum omitti, interdum per γ reddi solet. *Grot. Γοθολία.* Sic Græci olim legerunt, ut Hieronymus Athalia. Quomodo & critici Ebraeorum Masoritarum. Hujus Athaliae furorem evasit Joas à Iofaba sorore Ochozia occulatus. IV Reg. II. 2. *Druf.* Fuit filia Achabi & Iezabelis, nupta Joram filio

Iofaphat Regi Iudæ, ex eoque genuit Ochoziam. Quo occiso invasit regnum, & omnes filios Regis, quorum ipsa erat avia, interfecit, velut altera Medea. *Εσπάρδαζε μηδὲνα τῶ ἐκ τῆς Δαδίδος υγρομεσσαμνη οἴκῃ πάντων δὲ ἑξαφωτίου. σὸ γῆθῶ, αἷς ἀν μηδὲ εἰς ἑξ αὐτῆ βασιλίδος ἐπὶ γῆθῶ.* *Joseph. Theodor. Procop.* Ei simile fuit Drachomira imperia & Idololatra mater S. Wenceslai Regis Bohemiarum & martyris, quæ fratrem ejus Boieslaum in necem ejus impulit: sed eam terra vivam absorpsit. *Æneas Sylvius.* Fœmina violenta & dominationis cupida, qualem nobis Agrippinam Neronis matrem describit Tacitus. *Grot.*

⁶ *Ademptoque nepoti imperio.*] Quem surripuit Iofaba amita, uxor Ioiada Pontificis. *Joseph.* Sic Electra fratrem Orestem. *Seneca* Agamemnonem. Sic domus Davidis servata in uno puero, ut olim Gedeonis. Iud. IX. Errat ergo Pseudo-Philo, & qui eum sequuntur, defecisse stirpem Salomonis in Ochozia, asserentes, & quotquot eum sequantur, ex Nathan, non Salomone, descendere. Nam diferte Ioas hic vocatur filius Ochozia, qui ex Salomone, non Nathan descendit. Frivolum ergo est quod iidem addunt, iccirco Ioan, Amasiam & Ochoziam omitti in genealogia Christi Matth. I. quod in Ochozia defecerit stirps Salomonis. *A Lapide.* Sed de hoc vide Spanh. Dub. Euang.

⁷ *Ab avia præreptum imperium.*] Vi ergo, nullo jure, regnavit. Nam Hebræi fratres suos habebant reges, non sorores Deut. XVII. 15. *Grot.*

* Post